


05

A

481





DIATRIBE PRIMO-PHILO-
SOPHICA

21

De
SUPPOSITO

ET PERSONA,

quam sub

Sacro-sanctæ & individuæ Triados
AUSPICIIS,

In floridissimo Leucoridos Athenæo,

MODERANTE

Viro Clarissimo

DN. M. BALTH. JOHANNES PICHTL,

Facult. Philos. Adjuncto dignissimo, Præcepto-
re ac Fautore suo apprimè vene-
rando,

publico συφιλοσοφούντων examini submittit

JOHANNES JÜTTEMANNUS,

Servestâ Anhaltinus

ad diem Novembr. anni 1659.

In Auditorio minori,

horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Ære JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

22



DIATRISSE PRIMO. THILO.

OTROPHOTO

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

05 A 487

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

55



I. N. J.

Esto

Ἄνευ ὑποκειμένης καὶ παθητικῆς

THESIUM I.



Ns omne aut esse suum per se habet & propriū, diciturq; Substantia, aut non habet, & salutar Accidens. Substantiam dispescere sueverunt, in universalem & singularem; hanc in completam & incompletam; completam in talem vel essentiā tantūm, vel essentiā & subsistentiā simul. Hæc uno nomine vocatur *Suppositum*, quod si intelligentiā donatum est, *Persona* nuncupatur.

2. *Suppositum* rectè à *supponi* derivatur: quā autem de re, diversa doctorum dictoria audias & ἀπειρία. Nobis, uti cuius suo sensu (nī exorbitet planè) abundare facillè permittimus, pro diversa *supponi* significatione, itemq; ipsius *Suppositi* consideratione etymī etiam variare rationem quid, ne statuamus, prohibet? *vel enim supponi* idem, quod fulcire, est, seu sustentare, & sic *Suppositum* dicitur, quasi quod naturæ supponatur, eandemq; fulciendo sustentet: *vel idem est*, quod aliis præsupponi, & h. m. *Suppositum* est, quasi præsuppositum seu prærequiritum, in ordinè scilicet ad producendas actiones.

3. Accipitur autem *Suppositum* *vel in sensu vulgari vel Philosophico*. *Vulgariter* acceptum infert, *vel* subjectionem propriè sic dictam, quo modo ova gallinæ supposita dicuntur, craticulæ carbones: *vel* falsi in veri locum substitutionem, & alia notione appellatur *supposititium*, quā ratione testimonia alia dicuntur vera, alia supposita, pueri vel genuini vel suppositi. *Philosophicè* vox *Suppositi* sumpta usurpatur, *aut* pro termino enunciationis dialecticæ simplicis, qui *vel* materialiter supponitur, *vel* formaliter, *vel* simpliciter *vel* personaliter & c. *aut* pro præcognito seu postulato, sic objecta disciplinarum *vel* explicanda sunt, *vel* jam in universali explicata supponuntur, *aut* pro substantia singulari, completa, incommunicabili, qualis est *Bucephalus, bylax, Cicero, Horatius*. Remotis nos aliis, postremam acceptionem h. l. retinemus.

A 2

4. Aliis

4. Aliis Suppositum est *substantia prima* categorica, aliis ipsum *Individuum*. Verum enim verò neutrum cum Supposito pari pasu ambulat. Non prius: quoniam *primò* substantia prima prædicamentalis $\chi\beta\omega\nu$ usq; dicit ad secundas, quæ per modum Generum & Specierum de illa prædicantur. Quam sanè habitudinem cum indole Transcendentium pugnare, quis $\alpha\omega\omega\phi\theta$ adeò, quin intelligat? Deinde non reciprocè, ad naturam *Synonymorum verè Grammaticorum*, de se invicem prædicantur nec prorsum nec retrorsum universaliter. *Æquè enim falsum est: Omnia Supposita esse substantias primas prædicamentales, quàm: Omnes substantias primas Prædicamentales esse Supposita.* Rationem, si quæres, hanc habe geminam: 1. ignem in ferro candente, salem in aqua falsa num substantias singulares prædicamentales esse dubitas? non opinor: quia Entia sunt realia, per se, finita & in esse suo completa, adeoq; directè in Prædicamentis collocanda: at Supposita non sunt, quandoquidem propria substantia destituuntur. 2. datur & Suppositum, quod non substantia prima Prædicamentalis est. Principiò enim Deus licet vel maximè suppositum sit: non tamen est substantia prima Logica, cum ita superius aliquid, quin immò propriè sic dictum Genus Deo affingeretur. Deinde ferrum ignitum, poculum deauratum, aqua falsa quidnì sint Supposita? nolim tamen statuas esse substantias primas, cum Entia per accidens sint, ob eamq; rationem directè in Categoriarum clasibus non reperiantur. Porro, ut reliqua pede sicco transeamus, substantia prima Categorica non includit incommunicabilitatem, quæ tamen de ratione suppositorum est. Sic ignis substantia prima est: nihilominus tamen communicatur ferro. Eodem modo sal aquæ, aqua spongiæ, Succus citrinus vino &c. communicabilis est, licet vel maximè omnes sint substantiæ primæ. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, substantiam primam Prædicamentalem non $\chi\beta\omega\nu$ coincidere cum Supposito, nec hoc cum illa.

5. Deinde nec horum admitti potest opinio, qui *Individuum* terminum Supposito æquivalentem astruere satagunt, quia aliàs *Fortitudo Alexandri, Justitia Aristidis* quemadmodum individua sunt, ita etiam Supposita forent, tum quod individuum
viter-

vi termini ad series categoricas præcisè referri soleat, ultra quas ratio Suppositi tamen adscendit.

6. Labores ergò serunt, qui in *Synonymis* Supposito parandis miserè defudant. Romani enim felices adeò non sunt, ut conceptum Supposito ex asse respondentem è vernaculæ suæ penuario suppeditare nobis valeant: Concessa tamen hæc Grajis est felicitas, qui vel *ἡμετέριον* vel *ἡμετέριον* id ipsum appellare solent. Ubi velim teneas, non ejusdem planè notæ esse hæc vocabula. Illud enim è Græcia in Latium jam transit pridem: hoc est & manet Græcis proprium: illud mox Subsistentiam ipsam à Substantia abstractam notat, mox substantiam cum modo subsistendi: hoc verò materiale suum semper includit, non secùs ac alia solent Participia. Sed plura forsan alibi.

7. De Nominis theoria sat esto dictum. Ad Rei nunc pergendum: circa quam ut cautiùs aliquanto procedamus, primò omnium observamus Suppositum dupliciter spectari posse, vel ad modum Abstracti vel ad modum Concreti.

8. Suppositi concretivè spectati natura & genuina indoles partim per Materiale, partim per Formale investigatur: illa tribus, Substantia sc. singulari, completa exprimitur, quarum vocum singularum rationem enucleatiùs jam ordine declarabimus.

9. Substantie voce utuntur *Metaphysici* D. D. ne immisceantur & Accidentia, qualia sunt, calor, color, gratitudo, fortitudo &c. quæ cum ne subsistant quidem; sed ab alio in esse suo, fieri & operari dependeant, multò minùs ultimatam illum & perfectissimum subsistendi gradum impetrare poterunt.

10. Observandum h. l. quod Substantia ad Suppositum ut latius quidem se habeat, quia omne Suppositum est Substantia: sed non vicissim: cave tamen dixeris *συνωνυμῶς* ac veluti *Genus* id ipsum respicere; sed *παρωνυμῶς* seu, ut *ἰδιον πρὸς ἑ*, hoc est, in secundo modo dicendi per se, non in primo de Supposito prædicari.

11. Negotium hîc facere nobis visus est *Goslarus*, qui substantiam *Genus Suppositi* esse censuit. Verùm quàm vera aut falsa, quàm solida aut stollida hæc opinio sit, è proximè dicendis, nî meus me fallit *Genius*, fusiùs paulò constabit.

12. Scilicet primò confundit *Sophistes* Prædicamentalia cum Transcendentalibus, quæ tamen *δις Ἀπὸ πρῶτων* à se invicem distare

cui vel tyroni Metaphysico non apparet? illa enim primas in Categoriis sibi vindicant: hæc vel omnes rerum classes transfiliant, vel secundas modo in iisdem adipiscuntur. Ex illis perfectam & πρώτως Logicam definitionem eruere & extruere non est difficile: at idem in Eminentibus tentare in aëre piscari est, in mari venari jaculo.

13. *Secundò Suppositum quæ Formale consideratum* nullo modo dici potest substantia, nedum determinata ejus species. *Suppositivitas* enim modus est, qui quidem modus substantiæ potius, quàm substantia est, ideoq; hujus Genus substantiam statuere ἀφίλοσοφως lanè est procedere. Porro Substantia suppositivitas tanquam modi sui subjectum est: at subjectum sui, ut ita loqui liceat, subjectati Genus esse, aureus in Olympia stato, qui probaverit. Tandem in creatis Suppositivitas à suo subjecto differt realiter, ut res & modus rei realis, quod patet ex reali ejus separatione, quàm modus hic à Supposito reverà secerni potest, in imperfectioribus quidem naturis naturaliter, in perfectioribus autem non nisi supernaturaliter & per potentiam Dei absolutam. Genus autem à suâ Specie non nisi ratione discriminatur.

14. Ex quibus & id elucescit, quod *tertium* circa præsens litigium videbatur annotandum, Substantiam videlicet non esse Genus *Suppositi concretivè etiam sumpti*: Quare? quia abstracti non est. *Quid?* si substantiæ esset Generis vices in ordine ad Suppositum sustinere, Suppositum vel corpus foret vel spiritus. Ratio: quia nulla immediata substantiæ, quàm in incorpoream & corpoream, divisio hætenus in scholis exaudita est, nec forsàn audietur. Sed quicquid horum affirmaveris, absurditatis fanè nec scyllam nec charybdin tutò satis evitabis. Spiritum si dices, excludes corpora: sin corpus, removebis spiritus, cum tamen in utrisq; invenire habeas Supposita. En ergò funus Goslavianæ prolis non tam nobile, quàm miserabile, detestabile!

15. Quò benè sepulto, progrediendum est ulterius, ubi vox *singularis* substantiæ subjuncta se offert, quâ à definito remonentur universalis, quippe quæ 1. non nisi in singularibus suis radicata subsistunt 2. quatenus universalis extra intellectum non dantur: at Suppositum est reverà quid in rerum natura præter mentis negotia.

gotiationem existens & subsistens, atq; ideo nullum porfuis uni-
versale ingredi essentiam ejus poterit.

16. Nec metuenda nobis hîc est aliqua *τευτολογία* post vocem
incommunicabiliter subjuncturis, quod scilicet hâc ipsâ singularitas
importari videatur; differunt enim hæ voces, ut latius & angustius,
quoniam O. incommunicabile singulare est; sed non contra: O.
singulare est incommunicabile (*intellige ad aliud suppositum*) quod
patet ex sæpius iterato exemplo ignis in ferro candente & aliis.
*Latiora autem & strictiora in definitionibus posita, quomodo spirabunt
aliquam τευτολογίαν?* ut peritè querit Cl. Spenglerus in *Exerc. Me-
taph. ii. art. 3. q. 2.* Quid? quod eodem jure *completa* vox tolli posset,
uti ex jam citato Autore lecturus quisq; deprehendet. Num ergo
sola substantia materialem Suppositi absolvet rationem? Est hoc
contra recepta Philosophorum placita, est contra ipsos Conimbri-
censes & Ebelium, qui vocem *singularis* de possessione deturban-
dam judicant, *completa* retinendam.

17. Executienda restat vox *completa*, quâ excluduntur partes es-
senciales, relegantur integrales, ut sunt: hæc materia, hæc forma,
hæc manus: quæ, quoniam ad complementum & constitutio-
nem alterius sunt ordinatæ, eminentis hujus Subsistentiæ incapa-
ces jure merito censentur.

18. Hinc, quid de *anima* tum corpori juncta, tum ab eodem *se-
parata* judicandum, facili decernitur negotio. illam alienâ ope sub-
sistere plus est, quàm certissimum. De hâc quibusdam manet du-
bium: *an Suppositum ea sit nec ne.* Sed è dictis & dicendis facilis est
responsio. Substantiâ nimirum est, singularis est, completa non est,
incommunicabilis non est. Quid ergo in Suppositalitate eidem de-
neganda hæreamus? Distinguiamus tamen inter Suppositum *περω-
τως & κατ' ἀναλογίαν* sic dictum. Id licet non sit *anima separata*:
horum tamen è censu non est omninò releganda.

19. Sed ultrâ animum intendamus! *Materiale* absolvimus. *For-
male* jam succedit, quod est *incommunicabilis Subsistentia*. Ubi præ-
primis (ut unâ, quod ajunt, fideiâ duos dealbemus parietes) notan-
dam ducimus utriusq; & Suppositalitatis & ejus simul subjecti
communicabilitatem. Sed distinctim. Suo modo communicabilis
est Subsistentia, suo modo ipsum ex subsistentia & natura *σύνθετον*.

20. *Subsistentiam quod attinet, communicabilem eam dicimus ut
quod*

quod, incommunicabilem ut quò. Enodatiùs ita: Esse in quovis *ἀποσπᾶται* Subsistentiam, esse in eo naturam cui non est in proclivi? illa ergò, quatenus hujus, cui additur, actus est, communicari eidem dicitur. Et rectè. Natura enim e.g. ignis, quà substantia, quà individua, quà completa est, non statim est suppositum; sed quà incommunicabilis. Necessum est igitur, ut *πρὸς* ille addatur *ὑποθέσει*, addendo per identitatem communicetur, communicando ita arctissimè uniatur, uniendo incommunicabilem reddat Substantiam & sic evadat unum *ὑφιστάμενον*. Ex quo & hoc apparet, quod Suppositalitas *incommunicabilis* sit, ut quò, quia rem reddit eminenter incommunicabilem, quæ nec inhæreat, nec adhæreat Accidentium more, nec admodum partis substantiæ sit adunita.

21. Dantur & aliæ communicationis quasi-species, quas hæc Subsistentiæ incommunicabilitas admittit. Est enim *effectivè communicabilis, est intentionaliter. Non negat effectivam communicationem*, quà causa efficiens communicari dicitur suis effectibus; *non negat intentionalem*, quà finis, utpote bonus, ad appetitionem sui quemvis mortalem, quodvis naturale allicit, atq; adeò ab omnibus intenditur. *Non illam*: quoniam hæc ipsa vel maximè requiritur ad veram Suppositi Subsistentiam, cum illi omnis omninò accepta referatur actio, licet non ut principio quò; tamen ut principio quod, si non ut *πρῶτῳ ὑποκειμένῳ* tamen ut *δευτέρῳ*. Ad actiones autem Subsistentia concurrat, non merè concomitanter; sed antecedenter; per se, non per Accidens. *Non hanc*: quia bonum quid est Subsistentia adeoq; per se appetibilis. Sed plura apud alios.

22. Revertimur ad *Suppositum* seu ipsum *ὑφιστάμενον*. Quod iterum, incommunicabile dum dicitur, certo respectu, nihil minus est, quam incommunicabile. Nil de *effectiva* loquar, nil de *intentionali* adducam. Præter has enim *non precisè*, quà sc. Suppositum est, *tollit communicationem* *καὶ μέθεξιν*, qua videlicet Species, definitionem, & Propria Generis participant, individua Specierum. Quippe quæ jam voce *singularis* sublata est. O enim singulare est incommunicabile, puta, per modum universalis, quo animal & rationali & irrationali communicabile est, homo Petro, Paulo, Socrati aliisque Individuis.

23. *Nec 2. communicationem ad aliam naturam*, ac si res jam proprio modo subsistens, non alteri conjungi queat naturæ seu essentiæ,

tia,

tia, quam terminet, quamq; in sua Subsistentia communionem recipiat, adeo ut integrum quidem compositum, ipsum nempe ὑφιστάμενον & natura recepta, subsistat: sed ἀνίσως, illud πρώτως & per se, hæc verò δευτέρως & propter unionem. Secus si res se haberet, negaretur & Propriorum communicatio, quæ tamen à sanioribus Philosophis non nuper demum probata satis est & evicta.

24. Sed communicationem ad aliud Suppositum, ita ut Suppositum, quæ tale est & manet, non uniri & communicari possit alteri, à quo dependeat, sustentetur & in subsistere terminetur. Contradictio quippe in adjecto est, terminatum esse ultimò & ulterius terminari, h. e. Suppositum esse & non esse.

25. Tandem per τὸ subsistere non intellectam volumus illam per se existendi rationem, quæ in hærentiæ opponitur. Hæc n. omnibus Substantiis, quæ Substantiis, communis est. Omnes hæc per se subsistunt, nullæ in alio sunt, tanquam in subiecto, sine quo esse nequeant. Sed notamus hîc πρώτως & ἐξοχικῶς ita dictam Subsistentiam, sc. hypostaticam, quæ Suppositorum propria est.

26. Ex his ita edolatis binas exstruimus descriptiones, alteram Suppositi, alteram ejusdem Subsistentiæ. *Suppositivitas est Substantia singularis, completa incommunicabiliter subsistendi modus. Suppositum est Suppositivitatis subiectum; seu plenius & planius ita: Suppositum est Substantia singularis completa incommunicabiliter subsistens.*

27. Suppositum vel ad intelligens, & non intelligens indifferenter se habet & generale nomen *Suppositi* ἀπλῶς & absq; addito retinet: vel ad res intellectu præditas tantum contrahitur, & vocatur *persona*.

28. Suppositum jam vidimus. Investigemus agite *Personæ* naturam & ingenium. Sed lineis, quantum fieri potest, brevissimis. Præprimis cum pleraq; ad Suppositum allata (nomen & ex parte Materiale si excipias) huc accersere & applicare liceat.

29. *Dicta* autem *Persona* Gabio Basio apud A. Gellium videtur à *personando*, quia in comædiis personæ dicebantur illi, qui, velatâ facie, in theatro sonum edebant J. C. Scaligero est, quasi πρὸ σώματος, aliis, quasi πρὸ ζώνης, à πρὸ ζώνυμι, quod est, præcingo, quoniam illi, qui, cineturis & velaminibus adhibitis, alios homines mentiebantur, personæ primitus dicti fuerint. Bedæ autem, & quidem apposite satis, vocatur ita, quasi *per se una*.

B

30. Usur.

30. Usurpatur hæc vox tam pro qualitate & conditione seu statu Substantia alicujus, quam pro ipsa Substantia & quidem rationali. Utrumque gaudet autoritatibus; Posterius tamen omnibus omnino non arridet. Negat id *κεπινωτατ* & aliàs ille Scaliger; negat Valla, affirmant saniores in univèrsum omnes. Testes sunt Philosophi, testes sunt Theologi, testis est ipse Romanæ Suadæ ac Eloquentiæ Pater. Suffragantur huic sententiæ suis exemplis Ecclesiæ Patres: Cyprianus, Hilarius, Lactantius Ambrosius, Augustinus, & inculpatus ille, Casauboni iudicio, latinitatis Author Tertullianus. Et, posito nondum concesso, nullum Classicorum locutum sic fuisse, quo jure tamen è foro vel Philosophorum vel Theologorum proscribenda foret, quis Lynceus ita, qui perspiciat? sumant igitur illi, quod suum est, nos, quod nostrum. Illi verborum elegantiam, nos eorundem cum rebus congruentiam; illi verborum puritatem, nos rerum veritatem: Ultrà si quid tentare gestiunt, caveant, ne Proverbiale illud: *Ne sutor ultra crepidam*, audire, nolint, adigantur.

31. Vetustioribus à Cicerone Romanis *Personam* idem, quod antecessoribus *caput*, vel *homo*, fuisse autor est Gifanius. Sic *caput* liberum dicebant veteres, quod posteriores liberam *Personam*. Epiphonio & Thucydidi binis illis ex antiquitate Grajis, quod nos *Personam* dicimus *σωμα* erat. Huic, tempore Athanasii, in Ecclesia successit *ὑπόστασις*, ad exprimendam in Deitate *Personam*. Hanc tandem excepit *ωσώωντων* ad profligandos eò commodius Arii, & Sabellii contra S. S. Trinitatem errores quàm crassissimos. Quorum ille ex multiplicatione *ὑποστάσεων* colligebat tres in Deitate naturas, hic ex unitate *ὑποστάσεως* unicam *Personam*, ambo non nisi ambiguitate vocis seducti.

32. *A nominalibus ad realia.* Ubi ex suprâ annotatis denuò ferretur, *Personam* considerari posse vel in *Concreto* vel in *Abstracto*. *Concretivè* Goslavius eam definiit, quod sit *Substantia prima intelligens*; Sed oppidò quàm fallissimè, quod palàm fit ex defectu formalis rationis, quâ sine Definitionem fingere est urbem condere absq; muris.

33. Boëtius ita descripsit: quod sit *rationalis natura individua substantia*. Quam quidem descriptionem licet insufficientem vici
alii

alii doctissimi jamdudum evicerint: placet tamen quibusdam in ea expolienda laborare, sat anxie quidem; sed parum, ne nihil dicam, fructuose. *Individuam*, inquit, *Substantiam* Boetio eandem esse, quæ aliis *incommunicabilis*: *ratio* rationale ampliandum esse usque adeo, ut idem notet, quod *intelligens*: *Naturam* intelligi non *Physicam*; sed *Eminentem*, quæ ipsam rei formam seu essentiam denotat, &c. Sed quorsum & cui bono hi quasi commentarii? nobis sanè non licet esse obscuris adeo vel disertis. Difficilius sæpenumerò est mutila integrare, integrata depurgare, quàm perfectum quid à capite ad calcem producere. In illis plus horarum perditur, quàm in hoc impenditur.

34. Veram ergò & perfectiorem *Personæ descriptionem* eruturi notamus ejus & *Materiale* & *Formale*. Illud ex parte cum *Supposito* commune habet, & describitur per *Substantiam*, quâ remouentur *Accidentia*, *singularem*, quâ excluduntur universali modo *substantia*, *completam*, qua partes exesse jubentur & incompletæ *Substantiæ*: ex parte sibi vindicat quid proprium, quod est *intelligendi prerogativa*, quæ *Suppositi* naturam ad *Personæ* rationem non restringit modo; sed id etiam ab hac discriminari facit. Illud nempe omnes *substantiarum* species pervagatur, sive intelligant, sive non intelligant: hæc autem tantum invenire est in *intellectualibus*. *Supposita* sunt *Planta*, *Arbor*, *Leo*, *Canis*: at non *Personæ*, quæ sic? quia illæ nec sentiunt, nec intelligunt; hi, utut sentiant, intellectu tamen, qui propria *Personæ* conditio est, destituuntur.

35. Nec tamen è dictis cum *Goslaro* colligere licet: Per quod *Suppositum* à *Persona* differt, id est *formalis* ejus *ratio*: at per *intellectum*. Ergò. Siquidem res non *formaliter* usq; sed *materialiter* quandoq; discrepant, mox *Proprietatibus* distinguuntur, mox *Accidentibus*, mox *Subjectis*, & quæ sunt fortè *distinctiones* aliæ.

36. *Formale* iterum est *ἀυθαρξία* seu *incommunicabilis Subsistentia*, qua *Persona* non dependet, non sustentatur, non terminatur ab alio; sed perfectissimo modo subsistit, non secus ac ipsum *Suppositum*, ut supra ostensum, unde plura de *communicabilitate* & *incommunicabilitate*, *Personæ* ejusq; *Subsistentiæ*, ne resti, quod in *Adagione* est, *funiculum addere*, videamur, huc referri poterunt.

37. His

37. His ita prælibatis, liquet, quæ Personam tam in actu signato, quam exercito describere liceat. *Persona* sc. est *Substantia singularis completa, intelligens, incommunicabiliter subsistens*. *Personalitas* autem est *Subsistentia singularis completa, intelligentis, incommunicabiliter subsistendi modus*.

38. Sed vela contrahamus! hæc saltem, quæ inter Philosophos non utiliter minùs, quam subtiliter, moveri solet, observatâ *Controverfiâ*: quid videlicet *Subsistentia* illa, quam *Supposito* hæctenus & *Personæ* assignavimus, *natura superaddat*? Circa quam tot ferè, quot capita, sunt sententiæ, quibus in quadrum redigendis vix alter vel *Hercules* vel *Plato* sufficeret. Tanta est opinionum hæc in re varietas, ut veluti obductis tenebris lucem non valeat mentis acies inspicere, si omnes illas velit pellustrare. Nos, brevitati cum studendum sit, universas illas suis *Autoribus* illibatas retrò mittimus, asserentes interim, *realem* id esse & *positivum modum*, quod à *Subsistentia* *naturæ* superadditur, scilicet *αὐθυπαρξίαν*. Afficit enim illa sic *Substantiam*, ut extra illam conservari nesciat. Erit ergò *modus*. Sed *modus* *positivus*, *modus* in creatis ex parte rei à *natura*, quam actuat & determinat, distinctus. Quæ distinctio ex reali *Subsistentiæ* à *Substantiæ* separatione, tanquam *πρώτη* ejusdem *κρίτησις* manifesta evadit. Plura videantur apud *Suarezium*, *Fonsecam*, *Mendozam*. B. Jac. Mart. Excell. Dn. D. Scharffium, Pl. Reverend. D. Calovium, Clariss. Scheiblerum, & alios. Nobis hîc terminus esto!

Μόνω ΤΡΙΣΤΗΠΟΣΤΑΤΩ Δόξα!

Ad Præstantissimum

Dn. Respondentem, Autorem
Disputationis, Amicum meum dilectis-
simum,

Supposita tentas JÜTTEMANNE, Personas
Invadis, ausu pulchro, & arte felici.
Gratulor. Amicos addet alma Servesta
Tibi promovendo, ceu mereris apprimè.

PRÆSES.



05 A 481

ULB Halle
004 209 273


3



VD 17







DIATRIBE PRIMO - PHILO-
SOPHICA

De

SUPPOSITO

ET PERSONA,

quam sub
Sacro-sanctæ & individuæ Triados
AUSPICIIS,
In floridissimo Leucoridos Athenæo,
MODERANTE
Viro Clarissimo

Dn. M. BALTH. JOHANNES PICHTL,
Facult. Philos. Adjuncto dignissimo, Præcepto-
re ac Fautore suo apprimè vene-
rando,

publico συμφιλοσοφούντων examini submittit
JOHANNES JÜTTEMANNUS,
Servestâ Anhaltinus

ad diem Novembr. anni 1659.
In Auditorio minori,
boris antemeridianis.

WITTEBERGÆ
Ære JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

22